

# IN LIBRUM PRIMUM

C. AUGUSTINI CURIONIS

## E P I T O M E .

**B**elli Rhetici causæ, initium & progressus. Rovereti expugnatio. Georgii Sonnebergii cum Antonio Maria Severinate singulare certamen. Germanorum Rovereto discessus. Eorundem cum Venetis pugna, & Roberti Severinatis interitus. Eiusdem belli finis, & pacis leges. Sumptuariae leges Venetiis: & item ad viarum angustias ac pontes spectantes latae. Joannis Bentivoli, atque Daciae reginae Venetias adventus. Hieronymi Rhearii & Galeoti Manfredi interitus. Cyprium regnum in provinciam redigitur, & regina se ad urbem confert. Vectigal navibus imponitur. Magistratus in Africam Tremezeni regis postulatu a Senatu mittuntur. Lex de suffragiis, & alia de Graecis equitibus lata. Roxolanorum regis ad Senatum legatio. Induciae Senatus opera inter Federicum Caesarem & Mathiam Pannoniae regem dictae. Caesaris in Italiam adventus. Lex pro infantibus vulgo quaesitis, & pleraeque aliae leges latae. Paros insula a Venetis contra Turcas defenditur. Georgii Cernochii cum Antonii Erici filia connubium. Lex in fures domesticos lata. Guidimariae Rubei obitus. Scloporum descriptio, eorundemque usus a Senatu in imperium suum introductus. Ingens in Italia frigus. Hermolaus Barbarus patriarcha Aquilejensis creatur, & quae inde sint sequuta, ac eiusdem obitus. Venetus magistratus Byzantio pellitur. Cives, qui pro patria mortem oppetierunt, ornantur. Quadragevirale iudicium tertium additum. Suffragiorum ferendorum ratio. Quorundam malorum civium ambitus reprimitur. Laurentii Medices & Innocentii Pontificis obitus, atque Alexandri Borgiae creatio. Inter Pontificem, Mediolanensium ducem & Venetos foedus. Giemis Sultani apud Pontificem captivitas. Leonorae, Herculis At estini conjugis, cum filiis Venetias adventus.